

uni vindicat & meritissime. Nam humanâ operâ traducere aliquem
 ad fidem Christi, nedum integram aliquam Ecclesiam instituere, ne-
 mo hominū potest magis, quam mortuum jam foetentem præstare re-
 divivum. Verus igitur architectus hujus ædificiū est unus Christus,
 qui creat, qui concinnat, qui connectit inter se lapides vivos, & dat
 illis surgere in magnam molem *Casaubon l.c p 334 b partim secunda-*
rius Petrus scilicet; Tu es Petrus; itemq; omnes Apostoli & eorum
 successores, Ministri scil. Ecclesiæ. Hi enim vocantur **בני בנות** Bau-
 leute Psal. CXIX. 22 qui omnia juxta canonem Scripturæ Sacræ ædi-
 fificant super lapidem Angularem & unicum fidei fundamentum Chri-
 stum, perinde ut Paulus, qui se propterea sapientem Architectum vo-
 cat I Cor. III. 10. 11. Præclare de hac Architectonicâ sacrâ B. Chem-
 nitius *P. I. Exam. Concil Trident p. 88.* ubi de Canone Scripturæ S.
 agit, verba facit: *Ecclesia inquit, est Domus Dei viventis, cujus ædi-*
ficatio est ex Deo & architecti sunt ministri verbi. Ut autem structura
illa ministerio verbi sive predicatione doctrinæ rectè inchoetur, justo or-
dine & debita ratione conficiatur & absolvatur, opus certo canone seu
regula ad quam architecti opus suum exigant, ne ædificatio à justo or-
dine & debita ratione exorbitet. Et regula illa est doctrina Apostolorum
Psal XIX.

(2) PRÆDICATUM, quod est Ecclesiæ Ædificatio, ubi obs.
 (a) *Actus*, qui verbo **ἰκεθῶσιν** intimatur, quo partim Ecclesiæ col-
 lectio & convocatio, partim augmentatio & melioratio, partim
 fundatio, tutela & liberatio indicatur & significatur (β) *Objectum*
 Ædificationis est Ecclesia, cujus expendatur partim origo, scil. coetus
 ex omnibus hominibus convocatus; partim adjunctum sive signum
 discretivum, pronomine Possessivo **ἡ** (Ecclesiam MEAM) ostensum,
 quo ipso removetur Ecclesia Pharisæica, falsa & Diabolica, quæ Sa-
 tanam, non Christum, Architectum agnoscit (γ) *Fundamentum*,
 quod non Petrus, sed Petra, Petra salutis Deut XXXII. 15. Petra for-
 tis Psal XXXI. 3. Petra sublimis Psal. LXI. 3. Petra aquæ viventis
 I Cor. X. 4. hoc est Christus. Hinc h. l. non dicit *Super te Petrum;*
sed super hanc Petram, quam tu confessus es, nimirum super me ipsum.
 Hanc restrictionem indicat Pronomen demonstrativum **ταύτην**, quod
 h. l. **διωρισθῆναι** intelligi & retrò ad ipsum Christum referri debet. Quo
 de infra *Sect. II Quest. 4.* plura.